



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

De origine Turcarum, & Ottomani successorumq[ue] eius imperio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

CHRISTOPHORI RICHERII GALLI,

THORIGNEI SENONIS, CUBICULARII RE-

gij, in suum de origine Turcarum & Othomani successorumq; eius
imperio commentarium Prefatio, ad FranciscumGallorum regem Chri-
stianis.

VEREOR, Christianis. Rex, nequis me temere fecisse existimet, quod tibi non modo amplissimo inuictissimoq; principi, uerumetiam eloquentissimo & historiarum scientissimo Regi, nostram de Turcarum rebus historiam ausus sim quali consecrare. Quamobrem, quibus rebus adductus id fecerim, paucis explicabo. Videbam usque adeo te ardere amore scientiarum, ut non doctissimos solum, quos habes apud te multos: sed etiam tenuiter eruditos, in quibus nomen profiteor meum, beneuolentia amplecterere. Cogitabam apud me que premia constituisset professoribus artium bonarum, & in quos honorum gradus extulisses eos, quorum uirtutem & doctrinam probasses. Animo repetebam, te authore, exarsisse studia literarum, oppressam fuisse in Gallia barbariem, prodixisse qui linguam Latinam, qui Græcam, qui Hebraicam, qui poetas, 20
historicos, oratores, philotophos publice interpretarentur. Extitisse etiam qui scriptis libris politioribus augerent eorum numerum, qui nomē suum immortalitate donassent. Animaduertebam certatim omneis aliquid offerre tibi scripti: neminem esse tam humilem, qui non se tuę humanitati committeret: nullum opus esse tam paruum & tenue, quod non aliquid speraret apud te loci. Putaui igitur mihi esse faciendum, ne solus ingratus uiderer, & eo magis quod in numerum Cubiculariorum tuorum me recepisses. Itaque primitias quasi frugum mearum obtuli tibi: maius aliquid allaturus, siquid agellus meus melius & praestantius tulisset. Semina mihi collegi ex Egnario, Blondo, Platina, Riccio, Gaguino, Paulo Iouio, Andrea Cambi- 30
nio, alijsq; multis. si non eloquentiæ primæ, maxime tamen fidei scriptoribus: ut quæ sparsa essent ac dissipata, in unum locum mitterentur, quod proprius uideri possent. Parum quidem cultus est hic ager, sed rerum frequentia copiosus. Primum quæ sit origo Turcarum: deinde quas occupauerint sedes: postea Othomani & posteriorum imperium usq; ad Soleimanum presentem breuiter dilucideq; narro. Quicquid est, hoc summitto iudicio tuo. Tum demum non nihil esse existimabo, quum intelligam abs te omnino repudiatum non fuisse.

DE TVRCARVM ORIGINE ET NOMI-

ne, quam uariè scriptores opinentur. 40



IN tradenda Turcarum origine nobili inter scriptores dissidio laboratur. Ortam à Teucris eam gentē plariq; docent, non absq; sua ratione. Turcæ enim etsi uniuersam prope in Asiam & Græciam sunt effusi, tamen hodierno die eam præcipue Asiæ minoris partē colūt, quam olim tenuere Teucris: & ubi quondam Troia illa Græcorum uiribus euersa, opum uir militiorq; claruit. Est & quod illos præterea moucat, proxima scilicet quædam nominum utriusq; 40
gentis

gentis affinitas, Turcos nempe siue Turcas pro Teucris, & Turciam pro Teucra dicitam fuisse putant.

Potens quidem argumentum, sed tamen leue his, qui Arabas, Saracenos & Turcas, unam esse nationem uolunt: huiusmodiq; nomen à Græcis inditum fuisse tum, cum factio Turcica primùm innotuit. Græcos nimirum, cum nouum hoc religiosorum hominum genus ludibrio haberent, de q; sua nota uulgo cōmendarent: ridiculè ipsos τῶν θεωρικῶν, quod tempore corruptum & incisum θερκῶν peperit, contemplatores, atq; adeò in cœlum raptos aiunt nuncupasse: abrepta hinc nominis occasione, quòd Mahummedes, sectatoresq; eius, diuino se spiritu efflatos, oracula quoq; esse suas nugas factitarent.

Appositè & hi satis ad rem: sed & non minus ab eis quàm ab illis differunt ipsi Turcæ. Quorū aliqui gentis suæ strenuitate partem esse hanc appellationem gloriantur, se se q; in initio ob merita θερκῶν, strenuos ac bello potentes: annorum deinde lapsu θερκῶν fuisse nuncupatos.

Alij sectarium suum ueruecem Mahummedem in propaganda sua doctrina res supra omnem uim humanam, imò supra legem naturæ gessisse fabulantur. Quarum causa regio omnis, in quam Mahummedea lues primùm irrepit, principiò θεργία, opus seruatoris, populus θεργιοί: deinde θερκία & θερκοί, κατὰ θλίψιν καὶ μεταλήψιν, dici cœpere.

ARTIFICIALES MAGIS QVAM VERAS

esse has opiniones, quodq; reuera Turcæ à Scythis oriundi,
& nomen eorum uetus.

VERI profectò simile aliquid habent hæc de Turcarum origine & nomine opiniones: sed mihi rem altius intuenti, commenticiæ magis inuenta q; uidentur, quàm ueræ. Quare & minori dignæ esse fide, quàm sit eorum mens, qui annales sequuti, memoriæq; prodita monumenta, à Scythis oriundos faciūt eos populos, qui feris & incultis etiam num moribus Asiam minorē tenent: & eos in primis, qui Turcæ uulgo appellati, Ottomanorum legibus parent. Quos quidem Gelonis & Thussageris proximos, principiò eam Scythiæ regionem occupasse ferunt, quæ Oceano septentrionali exposita, in hyperboreos montes incumbit.

Historiæ mundi scriptor Mela, cū uicinos Tanai populos recenseret, Turcarum natale solū nomenq; cōmemorat. Ripas eius Sauromatæ (inquit) & ripis hærentia possident: una gens, aliquot populi, & aliquot nomina. Primi Mæotici γυναικοκρατόμενοι, regna Amazonum. Fœcundos pabulo, ad alia steriles nudosq; campos tenent Budini. Geloni urbem ligneam habitant, iuxta Thussagetæ Turcæq; vastas syluas occupant, alunturq; uenando. Tum cōtinuis rupibus latè aspera & deserta regio, ad Arimphæos usq; permittitur.

Plinius quoq; gentes, quæ circa paludē Mæotida fusæ sunt enumerans, scriptū Melē de Turcis quasi confirmaturus ait: Dein Tanaim amnē gemino ore influentē incolunt Sarmatæ, Medorū (ut ferunt) soboles, & ipsi in multa genera diuisi. Primò Sauromatæ γυναικοκρατόμενοι, unde Amazonum cōnubia. Dein Euazæ, Cottæ, Cicimeni, Messeniani, Costobocci, Choatæ, Zigæ, Dandari, Thussagetæ, Turcæ usq; ad solitudines saltuosas conuallibus asperas: ultra quos Arimphæi, qui ad Riphæos pertinent montes.

Ptolemæus in Asiaticorum Sarmatarum descriptione, mentionem facit Tuscorum, quos docti eandem esse cum Turcis nationem cōiungunt. Et in-

ter Caucasum montem (inquit) & Ceraunios Tusci & Diduri.

Cæterum, mores ipsi atq; actio omnis Turcarum, corporis ornatus, modus equitandi, armorum & pugnae, lingua & dialecti, omnino Scythica sunt. Quæ potentia sunt argumenta satis ad persuadendum, Turcas haud dubie esse Scythia oriundos.

Adde quod eorum prima eruptio in Pontum & Cappadociam fuisse facta legitur. Et quibus locis serpsere sensim de populo in populū, in Asiam usq; minorem, ubi in hodiernum diem mansere.

Cum ergo tam uenerandæ antiquitatis autoritatisq; uiri in his quæ de situ orbis scripta reliquere, Turcas in Scythia, eosq; hoc ipso nomine designent: cum porro cultus populo utriq; uox, gestus, incessus, ingenium, disciplina eadem sint: haud absq; ratione subscripsi potius eorum sententia, qui gentes quæ sub Othomanorum imperio Turcæ dicuntur, Scythia deriuant, nomenq; ipsi comitem faciunt origini: quàm aliorum libidini, qui Turcas Teucrorum prolem, qui Arabas Saracenos fecere: aut in excutienda prima Turcici nominis institutione, & eo ipso pro arbitrio formando, supra modum se torserunt: quasi alio fuissent olim Turcæ usi, nuperq; ob eas, quas ipsi commentantur, causas, Turcicum fuisset illis impositum nomen.

QVA PARTE SCYTHIAE TURCAE

20

olim habitauerunt.

Quamquam tamen adhuc inter illos qui ex ueterum scriptis coniecturam faciunt, aliqua est contentio de loco: ubi praesertim habitauerunt olim Turcæ in Scythia. Sunt enim qui eos in Europæa, sunt qui in Asia Sarmatia collocant. Sed Egnatius Baptista dissensionem componit in hunc modum: Turcæ partim Caspio mari proximi, qui Asiam Orientemq; uastauerunt, Caucasiq; ueteres incolæ, qua parte ad Arcton uergit: partim inter Scythicas gentes relati, & Vnnici sanguinis, qui postea Vngari dicti sunt, existimati.

QVO TEMPORE, QVIBVS DE CAUSIS,

30

et qua regionis parte suo natali solo exierunt, quosq; primum populos inuasere.

Turcarum nomine & origine descriptis, consentaneum uidetur exponere quo tempore, quas ob causas, qua regionis parte è suo natali solo exierunt: quos, deniq; populos primum inuasere, in quo magna quoq; est inter scriptores contentio,

Tradidere Blondus Flavius & Platina, salutis nostræ anno septingentesimo quinquagesimo quinto, Pipino in Francia regnante, suis eos primum finibus ad nouas sedes quærendas, rerum omnium domi cogente penuria discessisse: ruptisq; montium claustris, in Asiam peruenisse expe-
ditos: atq; Alanos initio, post Colchos & Armenios, dein Asiae minoris populos, Persas tandem ac Saracenos inuasisse.

Otho Frisingensis egestate quoq; domestica egressos, sed portis Caspijs, & quadriennio serius, Auarosq; euestigiò tentasse ac subiugasse meminit.

Martinus Segonius Nouomontanus causam eruptionis eandem: tempus, locum, impetus armorum diuersos commemorat. Cessisse enim patriam sub annum Christi octingentesimum quadragesimum quartum, è portis Caucaasi emeruisse, in uicinas gentes, atque has inter in Armenios incur-
lasse, ut deinde Asiam minorem occupasse.

Refert

Refert Antonius Sabellicus, fuisse in manibus sibi quendam Nicolaum Chalcondylem, qui Turcarum res gestas ab ipsa prima scripserit origine, memoriaeque prodiderit gentem hanc de se loquentem dicere solere, e Caspijs montibus pulsos a vicinis maiores suos, in Persiam & Asiam minorem descendisse.

Scriptum Zonorae Graeci, historiae scriptoris, ex opere quod de Graecis Imperatoribus reliquit exscribens Egnatius: Siue igitur (ait) ueteres illi a Mela relati, siue recens aliquod genus hominum, eorum certe qui Caspij maris accolae fuere, tenuissima memorantur primordia, & ut ceterarum gentium, plane obscura. Nam septingentesimum ab hinc annum, natali solo relicto, in Persidem atque Asiam minorem primum impetum fecere.

Scilicet author Graecus, in sermone quem de Turcis instituit, non infelix patrij soli ingenium, non horrorem, non rerum ad uictum necessarium egestatem, causam facit eruptionis: sed famam quae de illorum peritia militari percrebuerat. Cuius impulsu (Saracenis uniuersae quidem Asiae dominantibus, sed factionibus inter se distractis) Mauginetus Saracenus, Persiae & Mediae princeps, nationem hanc contra Imbraelem, Saracenum quoque, Babyloniae principem in auxilium euocauit.

Ex hac scriptorum contentione facile est iudicatu, certo non esse comperitum, nec qua tempestate, nec quo impulsu, nec quibus portis solo patrio eruperunt: neque adeo quas primum gentes incursionibus fatigare. Quanquam tamen ipsum tempus, causasque eruptionis conciliare, factu non est difficile. Fortasse enim non semel, sed annorum uicibus, fortasse & principio coacti necessitate patriam deseruere. Adde quod in noui domicilij conquisitione, dum ex alterorum incommodis sua comparant commoda, longo bellorum usu in re militari exerciti, gloriam nomenque ex uictorijs adepti sunt, unde & a Maugineto contra Imbraele hostem euocati. Quod uero ad limitis, quo exierunt, impetumque priorum fidem attinet: cum (si Ptolemaeo credimus) Caucasus ad septentrionem, supra Colchidem, Iberiam, Albaniam, & mare Hyrcanum, infra haec montes Caspij ad Austrum spectent: qui fieri potuit, ut emerisio prima e portis Caucaasi, prima item e Caspijs fuerit, nisi duplici exercitu? Meum itaque consilium est plures paucioribus anteferre, inque eorum sententiam concedere oportere.

DE EORVM INCREMENTO,

rebus bello partis.

Turcarum gente e suo ipsius natali solo euocata, & usque ad nouae habitationis comparationemeducta: rei gestae series postulat, ut deinceps incrementum eius stylo prosequamur, ostendamusque quibus artibus ac consilijs, ex uagis & erroneis, domini possessoresque facti sunt tot prouinciarum, quas obtinebant in Asia cum imperio, iam tum cum Othomanus regnum in eos appetijt atque occupauit.

Ex quorundam scriptis habetur eos initio, dum ruptis montium claustris in Asiam penetrarunt, paucos admodum fuisse: neque propterea ausos palam populari, sed repente inopinatis incursionibus ac rapinis insuetis, Pontum & Cappadociam, & omnem uiciniam diripiuisse. Coactos tamen subinde periculi metu, quod pauciores pluribus, extorres indige-

nis obijcerentur, in refugia se montium, sylvarum ac saluum latebras, & loca suapte natura munita, peneq; inuia abdidisse: & obseruatis sedulo prædæ furtiua occasione, raptò uictitalse. In ea uitæ difficultate tantisper mansisse, dum collectis uiribus, & acie cõscripta, ex omni prætereà numero delectis qui præessent, ausi sunt aperto Marte sæuire, atq; Colchos inuadit, post Armenios, dein Asiæ minoris populos gladio ac igne uastare. Re pentino atq; audaci & insolito incursu fractis Asiaticorum animis, barbaros facile uniuersam regionem in suam ditionem redegisse, hisq; rebus gestis ut ciuitates inualit timor, paucis admodum annis, non Pontum modò & Cappadociam, sed & Asiam quoq; minorem, quam hodie Anatoliam seu Turciam de nomine uocant, in potestate sua posuisse: & lapsu temporis (magis fortasse ob paruïtatem animi eorum quibus cum rem habebant, obq; Græcorum, sub quorum iugo erant, negligentiam, quam sua uel potentia uel industria) Bithyniæ, Galatiæ, Phrygiæ utriusq; Pisidiæ, Cariæ & Ciliciæ imperium consequutos.

TVRCAS MONARCHAM NULLVM

habuisse ante Othomanum.

Hanc rerum à Turcis gestarum seriem reliquere illi, qui eos suo natali solo ad nouæ terræ conquisitionem necessitate coactos exiisse prædicant. Cui addunt ad parta retinenda nullo Imperatore, nullo rege, nullo alio supremi magistratus titulo usos: sed designatis tantummodo profactionum prouinciarumq; uarietate certis hominibus, qui res, qua prudentia ualebant, administrarent, ad Othomanum usq; eum qui primus tyrannidem inualit, integros mansisse.

EVOCATOS E SCYTHIA IN AUXILIUM

à Maugineto Persarum principe.

Alii, quorum scripta habent Turcas à Saracenis principibus è Scythia fuisse euocatos, in auxilium contra hostes, ob eam qua florebant rei militaris peritiæ famam: de eorum incremento secus multo commendantur. Primum enim uictitare eos faciunt, bella sub certis militum ducibus gerendo: deinde ipsos sub aliquot principum regimen cogunt ante Othomanum.

Quia uerò Scilix inter omnes, & Egnatius Baptista rem hanc plenè & aptè complexi sunt, operæ precium ferè putauì scripta eorum meis inferere: ut scilicet hac ratione de successu Turcico nihil quenquam lateat: & cum nihil ultra desiderabitur, Othomani Turcicæ gentis Imperatoris primi cœpta, posteriorumq; res gestas, suo quæq; ordine disponam.

Scribit ergo Scilix in hunc modum. Quum Saraceni late dominarentur in Asia, atq; inter se disiderent: Mauginetus Saracenus, princeps Persidis & Mediæ contra Imbraelem etiam Saracenum, Babylonici principem, auxilia Turcarum accersuit. Illi duce Mucalthe uictoria potiti, ad imperium Persiæ aspirare cœperunt, præsidiaq; in Araxis ponte à Saracenis constituta, ne Scythiæ transirent in Persiam, dum amouere conarentur, prohibiti manu ualida, duce Trangolipice contra exercitum Mauginetis ueniunt: ac tandem potiuntur totius Persiæ. Trangolipix Sultanus efficitur: ruptisq; Caucaſi claustris, Turcos alios euocat, uicinisq; bellum suscitatur. Babylonem Pisalsyrio rege superato in potestatem redigit. Contra Carballen Arabiæ principem bellum, primum per Cuelmanum legatum, deinde

deinde per Asanum fratris filium infeliciter gessit, amissis copijs ac profligatis. Verum hi atq; alij huius nationis insurgentes, totam Asiam occupare: atq; cum Saracenis de una lege conuenere, cum prius uti reliqui Scythæ idola colerent. In sequentibus deinde temporibus, diuersi ex ijs duces ac principes, diuersa loca capere. Soleimanus Nicæam usq; ad Hellespontum & Tarsum Ciliciæ occupauit. Qui in prima expeditione Hierosolymitana expulsus à nostris cum tota familia fuit. Ducathes Damascū regionemq; omnem Decapoleos subegit. Assungur Alapiam (quam nunc Alepum dicunt) olim Epiphaniam dictam. Anexianus Antiochiam cum

10 modicis finibus. Nam Laodiceam usq; Syria, Calyphas Aegypti, è gente Saracenicā, possidebat regiones. Post annos deinceps circiter octuaginta, regnante apud Hierosolymam ex nostris Almerico, Syracinus Notandini Damasceni principis dux, simulatione ferendi auxilij Calyphe Aegyptio, qui tunc à nostris oppugnabatur, eum obruncauit, Sultanumq; se primū Aegypti cōstituit. Huius Saladinus successor Hierosolymæ Syriaq; regnū nostris expulsis in potestatem recepit. Processu deniq; temporis, & ipsi Saracenicum nomen ex Turcis, quod inter Arabes uersarentur, usq; in hodiernum diem accepere.

Egnatius uerò de Turcis differens: Sed nec unus dux illis (ait) nec certum imperiū: uagi dispalatiq; quo ue cuiq; fors affuit, latrocinātes magis quam belligerātes prouincias uastarunt. Prima stipendia Basilio Macedone imperante, sub Muchumetio Saracenorū principe meruere: quorū præcipue opera Babylonios Indosq; ille uicerit. Sed peperit his uirtus inuidiā, prohibitiq; ad sua redire, indignati primò secedunt: inde uno alteroq; prælio Trāgolipicis Mucalethij eorum ducis auspicijs feliciter aduersus Saracenos gesto, tandē egregiè uincūt, Muchumetiumq; profligatū acie obruncant. Ex quo res Turcica ad Trāgolipicē delata. Is alijs Turcis ad se accersitis, Cucumetium nepotē aduersus Arabas cum paratissimis copijs milit. Qui prælio ab his uictus, cum à patrono per summū contemptū exceptus esset, eius iracundiā ueritus, ab illo deficit, et Pasara Chorasimiorū urbe munitissima sese includit. Trāgolipix intereā prælio genti funestissimo, in Media finibus cū Romanis, Asani alterius nepotis ductu conflixit. Quo uicto et caeso, indignatus ille, Aleimū fratrem iterū in Romanos milit. Qui egregiā uictoriā, capto Liparite Græcorū duce, & caelis etiā Iberis Romanorū socijs retulit. Sed cū Liparitem primū, mox & dona à principe missa, facile Turca reddidisset, nec præstarent Romani quod promiserāt, ingentibus copijs accinctus Trāgolipix, Asiam omnem ad Euxinum mare, aut uastat, aut subigit. Variatum deinde in gente factionibus exortis ad Gallorum usq; memorabilē expeditionē, qua fracti ab his sapius, magna etiam

40 imperij parte mulctati sunt, donec Othomanus, ab hoc Selimo, qui rerum nunc potitur, nonus, ueterem gentis gloriam asserere ausus est.

Ex memoratis cōstat planè qualia fuerint Turcicæ nationis primordia, auctus & progressus: sub quibus initio præfectis, sub quibus deinde principibus uitam coluerūt, usq; ad Othomanū. Atq; ut colligam paucis quod uolo: sole clarius est, Turcas in primis suis annis, populum non fuisse momenti admodum magni: sed uel fato, uel ducum suorum astu & uigilantia, uel, quod fidem propius est, eorum cum quibus belligerabant animi paruitate & defectu, nec non etiam Græcorum, sub quorum tutela erant, negligentia, in hodiernas opes creuisse.

Hæc

Hæc equidem, nec plura de priscis Turcis eorumque ducibus, atque ijs quæ ante adeptum imperium gesserunt, literis mandata reperio. Iam uenio ad Othomanum, qui primus, paucorum neglecta potentia, monarchiam inuasit. Rerum ab eo gestarum filum contexam: & gradatim in occupata tyrannidis successores deueniam.

QVI OTHOMANVS MONARCHIAM usurpauit.

Sed antè quàm natales eius uersutiamque ingenij, qua ad summum populi regimen euectus est, exponam: facturus operæ precium uideor, si ea referam, quæ ex lazicum genere quidam, parum quidem latine, sed tamen disertè prodidit, in eam sententiam.

Anno à seruatore nostro supra millesimum & ducentessimum, exijt in prælium ab Austro princeps, cui uulgo magnus Sultanus nomen fuit: totumque Orientem frequenti exercitu ad mare usque perdomuit. Is, cum regionem quam sibi subdiderat, amœnam quidem fecundamque esse, sed nimium latè patentem, atque ideo conseruatu difficilem iudicaret: partiri eam in septem prouincias uoluit. Quibus singulis singulos duces præfecit, uiros numero septem, quos auctores itineris, periculorum consiliorumque socios, uictoriæ comites habuerat. Nomina eorum fuerunt, Othoman Beg, quod perinde est ac præfectus, gubernator, dux aut dominus Othomanus: Erman beg, German beg, Czarchan beg, Auding beg, Menthesse beg, & Caraman beg. De quibus appellantur etiam num hodie, ipsarum prouinciarum incolæ, Othomaneli, hoc est Othomani filij seu posterij: Ermaneli, Germaneli, Czarchaneli, Audingeli, Menthessefeli, Caramaneli. Suam quisque prouinciam tenuit animo quieto diu. Primus omnium Othomanus pacem noua imperij cupiditate sustulit. Primus ditionis suæ fines proferre aggressus, bella socijs mouit: domitisque proximis, cum accessione uirium fortio ad alios transiret, & proxima quæque uictoria instrumentum sequentis esset: omnes præter Caramanum, (qui tam finitimorum, qui ad eum profugerant, ope, quàm suæ prouinciæ accessu natura difficili resistebat) subegit, eoque statu ac possessionibus depulit.

Iam, si fidem testimonio huic tribuimus (existimo certè esse tribuendam: nam qui id perhibuit, refert se Mullenbachi in Vngaria literis incumbentem, natum annos circiter sexdecim, à principe Turcarum Amurathe bello captum, nec non & in Turciam abductum, ibi seruitutem duos & uiginti annos seruuisse. Quo perpetuo tempore cum uersaretur cum Turcis, rem sanè hanc plenè didicisse potuit) si (inquam) testimonio huic fidem tribuimus, ipsos iam ob oculos est, qua uia primus Othomanus imperij maiestatem usurparit. Nunc tamen ad genus eius moresque transeamus.

OTHOMANVS.

Fuit Othomanus loco natus obscuriore, & tenuibus fortunis domi: sed tamen ingenio felici, cautus homo, diligens, ambitiosus, præfecturas semper & regna cogitans. Eius disciplina, & consilia, & magnæ uirtutes tantum excelluerunt, ut pauculis annis, nobilioribus Turcis æquaretur: eaque de causa, uereri illum, ac in honore habere inciperent tanquam paratum & facilem quarumlibet rerum administrum. Per id tempus accidit, ut prouinciæ Asiaticæ dissidio inter se contenderent: utque latentes in præfectis earum serperent inimicitia: quas componere extra spem

spem erat ambientibus primas singulis. Hos tumultus Othomanus cum praesensisset, fortunae melioris principia fecit: ut qui ex ista provincialium, satraparumque dissensione euentum nonnisi prosperum sibi promitteret. Ergo discordias & factiones alere: modò his fauere, modò illis: debilioribus semper aduersus potētiores opitulari: singulos sibi opera ac beneficentia cōciliare. Quo ipse actu paulatim dissipata, fractaque multorum potentia, in tantam de se existimationē illos induxit, ut uelut superioribus beneficijs uicti & obligati, (nam singulos afflictis rebus adiuuerat) primos honores nulla intercessione quali suo iure praeipientem ferrent. Qua
 10 quidem in re Fortuna cum eo tam benignè indulgenterque decidit, ut non ita multo interiecto tempore, salutis nostrae anno circiter millesimo trecentesimo, Philippi Pulchri quintodecimo, unus impune inuitis omnibus summam imperij, quod antè partitum tenebant factiosi magistratus, occu-
 parit, seseque Asiae minoris siue Anatoliae Imperatorē nominare sit aggressus. Ad haec suscepta insignia foris nihil lentius imprudentius ue agens, quam antea domi priuatus solebat, magnā Bithyniae partem (conatu eius foelicem occasionem prosperosque successus dante Christianorum discordia) subegit, Syam (quae eadem cum Sebaeste est) expugnauit, & oppida ad Euxinū posita nō pauca cepit. Affecta iam aetate fato concessit. Philippi
 20 Valefi regis anno primo, & CHRISTI Opt. Max. millesimo trecentesimo uicesimo octauo, cū iam ipse octo & uiginti annos in imperio fuisset.

ORCHANES.

EIVS filius Orchanes à pueris ea semper indole morumque praestantia fuit, ut facile in demortui locum cunctis populi suffragijs sufficeretur. Neque omnium quisquam noua dignitate auctum in aliquo mutatum sensit: tantumque absuit, ut à patre in peius degenerasse uideretur, ut illum etiam magno uirtutum cumulo, & regendi imperij singulari disciplina longè superaret. Cuius rei certum documentum extitit, quòd haereditarium splendorem non modò integrè conseruauerit, uerum etiam spacio temporis eundem pluribus ornamentis illustrarit. Hunc enim fuisse nonnulli praedicant, qui Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam sub imperium suum subiunxit: qui Hellesponto atque Euxino dittonem suam terminauit: qui Prusiadem (quam nomine uariato & Bursiam & Prusiam dicunt) regum Bithyniae sedem primariam uic cepit, accepto inter obsidendum graui uulnere, quo postea interiit. Eundem quoque esse autumant, qui Cantacuzeno & Palaeologis fratribus de Constantinopolitano imperio contendentibus, ipsi Cantacuzeno cum ingenti exercitu in auxilium uenit. Sunt qui filio eius Amorathi haec concedunt: qui patri post duorum & uiginti annorum regnum mortuo successit, ad Ioannis Philippi filij primos dies, An
 30 no à CHRISTO nato millesimo trecentesimo quinquagesimo.

AMORATHES SIVE

Amurathes.

AMORATHES cum animo esset non minus industrius quam superiores, seseque atque illis dignum aliquid edere summopere cuperet: exemplo eorum (tametsi corpore minus ualeret) cepit statim dignitatis suae peruigilem curam habere. Ea de causa latis, in populumque datis certis legibus, prouinciam legit & locum in sedem principatus: quo prouinciam ac facilem ad sese aditum singulis praestaret, & amantissimi suorum principis munia obiret uigilanter, Bursia in hoc perplacuit, oppidum in radicibus
 Olympi

Olympi montis & opere & natura eximiè potens. Annos ibi non paucos ad ueterum Bithyniæ regum æmulationem, curandis suis rebus populocq; componendo ac ærario cumulando transegit: neque interim animo erat adeò sorte sua contento, ut nõ interdum de propagandis regni finibus cogitaret. Ecce interea principes Græci in maximã cum Imperatore suo Cantacuzeno discordiam labuntur. ferro partes decernendũ putant. Viribus illi inferiores, Marcũ Crayreũcum Bulgariæ, (quæ & Mylia dicta est) principem in auxiliũ assumunt. Contrã, Imperator legatos ad Amorathem unã cum pecuniã non mediocri subsidium petitũ mittit. Ab eo duodecim Turcarum millia impetrat: qui in Marci cæterorumq; rebellium oppressione Imperatorem alacriter iuuerunt. Eo beneficio aut etiã talium hominum usu plectus ipse, parta uictoria, quinq; ex illis millia in supplementum præsidij Græciæ retinuit, reliquos in Asiam multis muneribus ornatos remisit. Ex quibus Amorathes ut audijt imperij Græci præstantiã, utq; ipsi Imperatori pessimè cum suis cõueniret: opis denuo adferendæ illi specie, potiundæ tamen Græciæ animo, ad transfuenda Turcarum millia sexaginta pacto in singulos nummi unius aurei nauo. Genuensium nauibus usus, Hellespontum ad Abydum superat, & exinde Græciam hostiliter uexare aggreditur. Sed cũ eos impetus iuuandi Imperatoris & animaduertendi in eius inimicos gratia fieri ementiretur: tamdiu Græcos in dissi-
dio continuit, quoad uiribus neruoq; belli pecuniã exhaustos, omni subsidio destitutos, expugnatu faciles reddidit. Nactus deinde eam fortunam, in ipsum quoq; Imperatorem inexpectatò grauem impetum facit, & Callipolim ad fauces angustiarum Hellesponti positam, quòd eam munitionibus tutam, & ad omnem euentum commodam esse didicisset, festinanter inuasit. Cumq; agitaret animo uniuersum Græciæ imperium, fabricatis celeriter, & collocatis ibidem nauibus multis ad militè ab Asia in Europam transportandum, & aucto in immensum ea ratione exercitu, in Græciam formidabilis irrupit. In cuius expilatione cum occurrentes sibi hostes acie deleuisset, Hadrianopolim Philippopolimq; unã cũ plerisq; alijs oppidis occupauit. Ex ea tum primũ uictoria Turci Rhomania (quæ prouincia Thraciæ pars præcipua est) maiorem partem fecere suam. Verũ non alienum ab instituto fuerit, hoc loco dicere, quibus Thracia olim terminis fuerit. Fuit profectò non mediocriter fufis. Ab una parte orientem uersus, ad usque Pontum Euxinum & Propontidem trahebatur: à Meridie, mari Aegeo, fluuio Strymoni, & Macedonię coniuncta: Danubio à Septentrione: ab Occidente, Pæoniæ montibus, Pannoniæ & Saõ amni confinis erat. Ea cõprehendi uolunt utramq; Mysiam, Seruios scilicet & Bulgaros. Post quos usq; ad Hellesponti angustias, locorum maritimorum quicquid Meridiem spectat Græcis frequens, id omne hodie Rhomania est. Ex ea Amorathes in Seruiam ac Bulgariam delatus, Lazarum Seruiæ, & Marcum Bulgariæ coniuratos principes in campis Cassonijs profligauit. Eodem conflictu, à seruo trucidati Lazari dominum ulciscente sub inguine confossus ipse extinctus est, cum tres & uiginti annos impetrasset, Carolo quinto Francis imperante.

SOLEIMANVS ET BAI AZETHES: SIVE BASAITHES, Paçaithes uel Paiazethes.

HVic uix dum parentatum erat, cum superstitem patri Soleimanum hereditariæ dignitatĩ eripuit amulus frater Bai azethes. Is eo flagitio factus

factus honorum omnium haeres, uir impiger animiq; maximus, statim ab accepto imperio rebus Asiae constitutis, traiecitq; in Europam nouis copijs, in Bulgariam aduersus Marcum Crayreicum proficiscitur: quo quidem praelio superato atq; occiso, magnam eius prouinciae partem sibi cum defectione, tum expugnatione subegit. Pugnam deinde aduersus Graecos maturè instaurat, in qua euentus adeo prosperos habuit, ut de Rhomania quoquo uersum nihil Graeco Imperatori praeter Constantinopolim reliqui faceret. Nectanta uictoria cõtentus, in intima Graecia penetrauit, & Thessaliam, Phocidem, Bœotiam, Atticã penè totam (solis incolumibus Athenis, quæ situ difficili ac muro densè in multos pedes consripato circumseptæ, sequitæ hostili restiterunt.) Ad hæc Macedoniam unã cum Pæonia & Paphlagonia subiugauit. Agmine demum illinc in Bessynam & Seruam deducto, infinitam hominum ac pecoris multitudinem abegit. In Rhomaniam deinde reuersus, Constantinopolim graui presit obsidione. Neque dubium est quin eam expugnasset, & Turcis uniuersæ principatum Graeciæ adeptus esset, nisi quidam Tamerlanes Parthus obscurus quidem genere, sed institutis reipublicæ ac militia præclarus, repentino in Asiam minorem descensu, à proxima uictoria tam efferatum hostem auertisset. Cui reprimendo ne longius promoueret, aut potius fugando, Baiazethes soluta obsidione & castris in Asiam motis occurrit. Nec ita multo post in finibus Armeniæ minoris ad Stellam montè (ubi olim Pompeius unã cum Mithridate signa contulerat) tam iniquo Marte congressi sunt, ut Baiazethes caelis suorum ducentis milibus, coniectis in fugam reliquis, ad tantæ eladis accessionem equo deiectus in Tamerlanis hostis infestissimi potestatem uiuus deueniret: & cauea inclusus, populis quibus imperarat, monstrandus traheretur. Memoriam proditum est miserum Turcam infra mensam Parthi uictoris quoties hic epulabatur, aureis catenis reuinctum locari, & ibidem ad domestici canis similitudinẽ ali consuesse: Tamerlani porro in equum ascendenti eundem humi procumbentem scanni loco fuisse.

30 In quo squallore ac miseria mansit incoelix, quoad diris animi & corporis cruciatibus extenuatus, sex & uiginti annorum Imperator, dignum scelerato principio exitiũ finemq; imperij sustinuit, Anno à partu Virginis millesimo trecentesimo nonagesimo octauo, Caroli sexti octauodecimo.

CYRISCELEBES, SEV CALAPINVS.

Liberi eius, Cyriscelebes, siue (ut quidam uolunt) Calapinus, Moses, Mahummedes & Mustaphas, paternæ calamitatis exemplo admoniti, Asiaq; prorsus à Tamerlane spoliati, cū trepide in Graciam refugissent, excepti sunt fuga ab his Graecis qui in Helleponto explorabant, & ad Imperatorem Constantinopolitanum pro singulari præda deducti. Quorum ipse (ut clemens & lenis erat) miserorum fortunam non grauare, sed eos potius nullo uitæ possessionumq; , quas in Gracia pater eorum congesserat, periculo, apud se saluos custodiri, regieq; educari uoluit. Postea morte Tamerlanis audita, misericordia Imperatoris Constantinopolitani, ac clementia solutus natus maximus Cyriscelebes, in Asiam discessit. In quam subito magna populi beneuolentia receptus, patrimonium integrè recuperauit. In suas deinde Graecas possessiones opportunè rediit. E quibus cum soluisset, arma in Hungariam traiecturus, eiq; Sigismundus rex occurrisset cum Franco equitatu (quem sub præfectura Ioannis Nouiodunensis eius qui Burgundionum duci patri successit, à Carolo sexto in auxilium

contra Turcas obtinuerat) ad Nicopolim ijs animis utrinque concertatum est, ut dubia primùm uictoria, deinde in Turcas numero plures inclinante, nostri ad unum turbatis ordinibus, & uersis in fugam Hungaris, aut celi sint, aut capti. In captiuis fuit Ioannes ipse unà cum uiris principibus Guidone Trimollio, Io. Viennensi, Philippo Arthesio, Bucicaldo militiæ Gallicæ præfecto, alijsque id genus &c. non paucis: qui ad Cyriscelebem, fugiente interim Sigismundo, pertracti, seruari sunt, & aliquanto post ducētis aureorum millibus redempti. Verùm ceteri nostri grauis ac leuis armaturæ milites, qui periculo se belli eripuerant, immaniter cōfecti sunt. Victor postea Cyriscelebes capto belli in Seruiam trāsferendi cōsilio, quum fines eius infestare ac depopulari contenderet, & eo incōsultius accederet, morbo correptus animam egit.

ORCHANES CYRISCELEBIS.

ORehanem Cyriscelebes etiam unicum imperij hæredem reliquerat, non tamen opulenti patrimonij usum ac delicias attigit. Ad gubernacula enim Reipub. cum paucorum studio atque opera conaretur admitti, patruus eius Moses, conciliatis sibi multorum animis, prærepto imperio, filium fratris primo quoque tempore iugulandum curauit.

MOSES.

Sed & ipsi dignum illo parricidio exitium prope diuinitus allatum est. Nam scōparatam nefariè rem ac dignitatē cum fratri Mahummedes inuideret, & dulcedine imperandi uehementer capere, interceptum Mosem uita simul bonisque priuauit. Hæc scelera omnia proximum à Cyriscelebis morte biennium tulit, cum ipse post Baiazethem patrem biennio quoque tenuisset imperium.

MAHUMMEDES.

Sunt qui Mahummedem, nulla prorsus de his facta mentione, more Baiazethis factum Imperatorem putant, & ea quæ de Cyriscelebe feruntur, huic uni attribuunt. Ceterum Vualachos Mahummedes Danubio traiecit ac Bulgaros ferocissimas Thraciæ gentes uarijs prælijs & cladibus afflixit. Nec prius ab ea uexatione manus continuit, quam afflictos populos sibi magnum tributum quotannis pendere compulit. Arma deinde uertit in satrapas Asiæ, quos cum deuicisset, alios quidem pecunia multauit, nihil generis propinquitate commotus: alios ut Caramanum satrapam Ciliciæ, & Asmanum eius Armeniæ, quam Euphrates aluit, integros atque incolumes, fortunis quoque nulla ex parte diminutos seruauit. Reuersus in Græciam, Hadrianopolim sedis imperatoris loco habuit, pulsus illinc, aut ad interuersionem casus quotquot intus Christiano insignitos nomine, ac sacros religionis deprehendit: nec diu post ea uixit. Opetijt anno tyrannidis suæ decimo septimo, & nostræ instaurationis millesimo quadringentesimo decimo quinto, Anno imperij Caroli sexti tricesimo quinto.

AMORATHES.

AMorathes ordine successione, imperij declaratur hæres. Hunc etiam impuberem, magna rerum gerendarum foelicitas sequuta est, & Imperator Mahummedis patris non modo nomen ac gloriam præclare gestis, uerum etiam maiorum, quotquot illum antecesserant, memoria longè superauit. Hic tum, cum pater excessit, præerat Anatoliæ, ab ipso ad sustinendos hostilis impetus tutamque regionis administrationem delegatus. Nuncium suæ orbitatis illuc accepit citius quam incommodè paternæ uoletudinis. Quo casu percussus, maturat ab Anatolia proficisci, & quam maximis itineribus

itineribus potest in Græciâ contendit. Itaq; paucis castris ad urbem Chalcedonem peruenit. Vnde cum in Europam exire studiosè cuperet, & uelis equisq; in Græcam suam rem conuolare, ad iusta, ut palàm dicitabat, paterno funeri honorificè persoluenda, reuera quòd presentia sua uel conseruatum iri, uel si alienatum esset, iam recuperatum patrimonium confidebat: nunciatur per exploratores Hellespontum classe hostili teneri, Constantinopolitanumq; Imperatorem insidias parare: & siquando se in uiam det, uiolentas manus allaturum. Nec falsus erat is nuncius. Nam Constantinopolitanus cum Mustaphæ Baiazethis filiorum quarto ad imperium suffragaretur, & illum in patris fortunis collocare summopere studeret, ad mare proruerat, ut filium fratris eius Amorathem depelleret. Ea de causa egredi in Græciam conanti tandiu obstitit, quoad collatis uiribus Turcos insensissimè conflictatos, & Mustapham eo prælio præter opinionem suam confectum, fuis prostratisq; omnibus eius copijs intelligeret. Nullo postea negotio Amorathem regni potentem fecit ea de patruo uictoria. Sed iter in Græciam faciens, omnem operam ac curam in ultionem iniuriarum contulit. Prouincias ergo finitimas adoriri, prouinciales in seruitutem abstrahere, agros uastare, oppida passim urbesq; (quas interfuit, quæ in ora Macedoniæ sita est Thessalonica) obsidere, expugnare, diripere, demoliri. Conflata ea & tyrannicæ crudelitatis labe multorum maleuolentia, cum nusquã satis tutus esset, ad eas suspiciones tollendas & tuitionem sui, custodia sibi opus esse credidit. Ergo conscribit peditatum qui se armatus circumueat semper ac tutetur: nec in eum quosuis homines conijci uult, sed eos solum qui abnegato CHRISTO, quem antea profitebatur, Mahumedæ superstitioni se addixerant, quos lanitzaros uocat. His munitionibus in Epeirum, (quæ recentioribus Larta nuncupatur) irrumpit, ac mox in Aetolorum patriam penetrans, eas agri pellectus bonitate suas fecit. Quarum tam illustrium, comodarumq; rerum accessione auarior factus & ambitiosior, irruptionem extemplo fecit in Illyricum, quod hodie Sclauonia dicitur, & Dalmatiã in se, Croaciã, Istriã ac Liburniam complectitur. Id fauus peruagatus est magno incolarum detrimento: nonnullis etiã expugnatis arcibus, & abacta hominum & pecudum numerosa multitudine. Turcicq; porro nationi cū liceat plures ducere uxores, Georgij Seruorum principis filiam sibi matrimonio iunxit. Sed paulo post affinitate istiusmodi pro nihilo habita, armatis multis hominum millibus, Mysiam, aut, si quis ita appellare malit, Seruiam, impetijt. Socer milite atq; opibus inferior, pugnae genero potestatem non fecit: sed imposito Synderouia urbi præsidio, filiorum quidem unum in ea reliquit: ipse uerò trepidus cū uxore ac liberis & familia, in Hungariam aufugit. Amorathes fuga soceri nobilissimis oppidis Scopia, Sophia, & Nouomonte, Mysia denique in integrum potitus, ad ultimū Synderouia castra admouet, & eam paucissimis diebus expugnat. In cuius expugnatione cum relictus ad defensionem urbis uxoris frater irumpentem hostem effugere nequisset, tantum absuit ut eum affinem Turca recognosceret, ut ambobus oculis orbatur, coniectūq; in uincula, nulla uel humanitate motus, uel propinquitate, quacuncq; ibat in contemptum soceri, miserum ac innocentem inuenem secum populari ludibrio pertraheret, ipso interim socero perpetuo exilio multato. Expeditionem deniq; in Hungariam cogitans, cōstituit apud se prius quàm quicquã moliretur, aut occupandã esse omnino Græciã, aut saltem ita cum

reliquijs eius agendum, ut sibi in posterū absentī obesse non possit. Ea ratione in Peloponnesum, (quam uulgo Moream appellant) deductus, superato Hexamili siue Esmiliē muro, qui in Isthmo positus id cōtinentis interuallū claudit, quod Aegeum ab Ionio disternat: fusoq; ac casō omnī eius praesidio, prouinciā, et si a quoribus superioribus circumdatam, uniuersam in suam ditionem redegit. Atticam deinde eadē uia bello capit, & de Athenis cum principe earū natione Ligure paciscitur. Compositis Graeciae rebus, ad oppresionē Hungariae animū adijcit. Ad quod peragendū, cum quae exercitui opus essent compararet, nunciatur Christianorū in Turcas grauem undequaq; tumultū excitari, Hūgarosq; unā cum ipsa uicinia iam iam euocatos in Graeciam irumpere. Quamobrem apparatus ut potest accelerat, & designatis ut erat casuū prudens ac prospiciens, praefectis prouinciarum, qui metu iniecto, Peloponnesiacorū atq; Atticorū cōspiraciones defectionesq; amolirentur, descripto etiā centū millium hominum exercitu, rectā in hostem pergit. Ocyus fama tam fœdam tempestatē inferit Hungariae, & inexpectatō inermē regnum tantis furijs adoritur, ut nihil ei non cedat omnia uiolanti sacra simul & profana. Processisset haud dubiē longius: sed pressus annonae caritate, receptui canere coactus est. Non abs re fuerit hoc loco meminisse hūc esse Imperatorē Turcarū, aduersus quem Eugenius quartus Romanorū pontifex Iulianū Caesarinum Cardinalem legatum militē armatum. Qui Caesarinus cum Ioanne Huniade Vuayroda militiā Hungaricae praefecto, collatis in unum copijs cōiunctus, factō in Turcae fines incurso, cū iam satis promouisset, Sophiā castris hostilibus circumuenit, et obuios sibi, seq; lacessentes, Turcas frequentī conflictu fudit. Quae uictoria decennialium inter eos induciarū causa fuit. Sed armis de integro Pontif. hortatu preter iusiurandum resumptis, commissōq; ad Varnam, quondam Dionysopolim, certamine, nostri uicissim fusi prostratiq; sunt, uno Huniade Vuayroda incolumi, Ladislare Polonorum rege inter pugnandum occiso, Caesarino autem inter fugiendum miserrimē a fugitiuis gregarijs interfecto. Tantīs totq; uictorijs elatus Amorathes, iter Hadrianopolim releuandi animi reficiendarumq; uirū gratia instituit. Ibi singulari rerum omnium tranquillitate fretus, uota quaecunq; aliās Deo immortalī uouerat persoluit: Mahummedē primogenitū celebri Bassarum procerumq; assensu, populi autē insolita contentione, imperio praeficit. Eundem postquam in sedem collocasset imperij, fidei ac tutelae Callij Bassae purpurati senis nulli sociorū prudentia atq; opibus secundi commisit. Postremō se ad otium uitaeq; delicias capessendas in Asiā contulit: ubi non ita multō post uita functus, Prusiade cū maioribus aequē regie atq; honorificē sepultus est, Anno imperij suaricesimo quarto.

MAHUMMEDES.

MAhummedes nullo maiorum industria, cautione, gratia, nouādisq; rebus inferior: in ipsis primae militiae rudimentis lectissimū quemq; ac probatissimū ducem patris Amorathis beneficio ac pietate quali doctorem habuit. Imperium suscepit uix dum in pubere etate constitutus. Cuius quidem suauitate, inusitataq; uitae licentia delinuit, statim ab initio facile sibi persuasit nemini unquam quicquā diuinitus concessum fuisse ea dignitate atq; potentia aut splendidius, aut foelicius, aut sanctius, aut quod plurimum inuidie magis obnoxium sit. Quare omni tutela tanquā seruitutis iugo à se reiecta, liberum imperij moderamen suscipit. Nouas leges promulgat.

Quaedam

Quaedam placita maiorum improbat & antiquat. Ad ararij accessione uectigalia auget. Ianizerorū ordinē equitatu adhibito pleniorē facit. A' Bassis atq; alijs qui uiuo patre praefecturas obtinuerant, rationes exposcit: plerosq; eorum uita multat, pecunia non paucos. Ad haec cum fratrem nomine Calapinum seu Turlinem adhuc infantem nondum bimū domi haberet, quem sibi nimis grauem ac suae incommodū libertati, & haereditati inhiantem suspicaretur: eumq; idcirco magno studio tollendū curaret: post breueis insidias puerū, dulces uiduae matris delicias, immaniter extinctū, matri nihil tale a filio in matrem, a fratre grandiore in paruulū fratrem patratum iri suspicatae obijcit, ut ea scilicet orbitate filij, collectā demum charitatem maternā, in se unum ac suae prosperitatis incrementū prouocaret. Deinde uerō aetate sensim maiorum suorum res praclare gestas edoctus, tantundem illis gloriae inuidens, quantum ipse audendo adaequare nō posset, eleuato sapius Baiazethe, qui obsessam diu Constantinopolim cum tenuisset, ea tamen potiri nunquam potuisset, eam tum primū uictoriā in animum suum inducit, perpetuam ex euerfa Graeci Imperatoris sede, nominis celebritatem, firmamq; stabilem ac legitimā Graeciae monarchiā sperans. Itaq; habito equitū & peditū delectu, et multarū omnis generis nauū classe ordinata, diurnis nocturnisque itineribus Byzantium proficiscitur. Quō cum peruenisset ad sextū Cal. Maias, ingētes copias muro admouet, & urbem iteratis machinarū muraliū ictibus ferire, ciueis crebris terrere oppugnationibus, omnia quae ad uictoriā cōducerent, experiri aggreditur: peritatq; tamdiu in oppugnando, quoad longissima debilitatā obsidione expugnat, Anno salutis nostrae millelmo quadringētesimo quinquagesimo secundo, Caroli septimi tricesimotertio. Ad quam calamitatem accessit indignissimus Constantini Imperatoris exitus. Quem quidā capite truncatum fuisse, genere eius omnino uel exilio, uel morte sublato, alij in media suorū fugientium turba, cum ipse quoq; fugeret, decidisse, et certatim cursu erumpentium concussū, contritū, interemptumq; fuisse tradunt. Haec pa-

30 riter uictoria mortem Callio Basse tutori attulit: nempe Mahūmedes pecunia, quam Callius ingentē possidebat, utendae causa, proditiōnis insimulatum oppressit. Eadem etiā effectum est, ut quicquid locorū ubiuis Graeciae Constantinopolitano imperio subditū erat, id omne ad Mahūmedem, audita Byzantij expugnatione deficeret. Supererāt Albania, Peloponnesus, & Acarnania. Quae prouincia nuper audita Christianorū conspiratione in Turcas, & proximo eorundē in Graeciā aduentu, renunciata etiam morte Amorathis, acceptoq; filij eius Mahūmedis imperio praematurē rebellauerant, alijs interim regulis morem gerentes. In eas paulo post omnē belli impetū transfert, atq; Albaniam primō (quae ea pars est Macedoniae quae in

40 occidentem uergens, a Dyrrachio ad antiquam ciuitatem Apolloniae pertinet) ingressus, ingruentibus undiq; malis afflictā & perditā, uectigalem facit. Mox facto in Peloponnesum impetu, uniuersam prouinciā sibi subijcit. Est autem Peloponnesus Graeciae pars nobilitate & potentia nationum ac populorum qui in ea antiquitus habitauerunt, longē omnium clarissima: cuius situs solo aspectu facile principem illic esse imperij sedem monstrat. Nimirum in ea multi sunt sinus, multa promōtoria, multa splendidae & magnae ciuitates, faciles in omnem terrae plagam excursus. Ferunt eius formam esse platani folio persimilem: cuius longitudo & latitudo penē aequales sunt, A' principio ad extremum, stadia sunt mille & quadringenta:

quæ millia Italica centum & septuaginta quinque faciunt. Ambitus, stadiorum est quatuor milliū, ut Polybio placet: uerū huic numero Arthemidorus quadringenta adhibuit. Circundatur omnis Ionio & Aegeo, ut supra memorauī, excepta solū ea continentis parte, quæ Isthmos dicitur, ubi Corinthus ciuitas nobilis posita est. In Pelopōneso sunt Achaia, Messenia Laconia, Argolica & Arcadia. Eas omnes prouincias Mahummedes peruagatus, uectigales fecit, tributo pariter Corintho deditiæ imperato. Acarnaniā deinde (quæ est Epeiro & Bœotia intermedia) felicissimè tentatam diripuit. His successibus plenior audentiorq; factus, de irruptione in Hungariam cepit cogitare. Nec factum cogitationem longè fecutum. Nam paulo post descriptis centum quinquaginta hominum millibus, & comparatis ijs quæ ex usu profectiois erant, celeritate incredibili arduos Thraciæ montes exuperat. Cumq; iam pridē statuisset hostile Christianorum nōmen, remq; funditus abolere, Belgrado (quod oppidum ad confluentem Sauri & Danubij positum, non Hungaris modò, sed & toti Christianismo propugnaculum erat) aciem formidabilē obiecit. Nec prius ab eius insolentissima oppugnatione destitit, quàm in ipsa muri quassatione suis animum, quem diuturnitate obsidionis penè desponderant, uiriliter faciens, altissimè sub dexteram sagitta configeretur. Quo casu expauctus exercitus, singuli relictis ordinibus atq; impedimentis, in fugā conuertuntur, & transcursa diebus noctibusq; Mysia, in Rhomaniā domesticum tutumq; sibi præsidium perferuntur. Mahummedes quoq; eodē post suos reuehi curat: ubi tantisper mansit ociosus, dum à uulnere accepto recrearetur. Postea uerò iuri suis reddendo, cōponendis seditionibus, si quæ in eius absentia coortæ fuerant, uenationi atq; alijs domesticis exercitationibus eousq; incubuit, quoad præteritæ felicitatis uictoriarūq; longa memoria, produchdi imperij uehementem libidinem excitaret. Itaq; ubi se commeatu rebusq; nouæ expeditioni necessarijs satis affluere sentit, militum cuiusuis armaturæ nomina excipit, multaq; hominum millia conscribit. Cum quibus in Asiam proficiscitur, Batazethi filio quæ Anatoliæ præfecerat, iam pridem Pyramethi Carmaniæ rectoris dominatum quaquauerum fatiganti, sed tamen aliquāto inferiori, auxilium allaturus. Quò cum nullo in angustijs impedimento transmisisset, cepit extemplo Ponticā Pyramethi gentem, deinde Ciliciam populari ac uexare. Neq; à populatione atq; agris uastandis prius abstinuit, quàm delatus in Armeniā cum Vfuncassano Persidis rege ad Euphratem conflixisset prælio non satis felici, amissis militum decem milibus, et de Baisis Asmirathe. Ob quam iacturam maioribus furijs cum Trapezuntino Imperatore Vfuncassani socero congressurus uadit. Prohibentem occidit, et stirpe eius radicitus euulsa, Imperatorem se substituit non Trapezuntis modò, sed & Sinopes, & omnium quæ ante hanc cladem ipso in Ponto Christiani possidebant. Parta id genus uictoria, ouantem exercitum in Græciam reducit. nec uincendi cupiditate sine imposito, classe ad Lemnum & Lesbos prædiuites insulas adnauigat. Quibus primo impetu castris plurimis, oppidis atq; arcibus spoliatis, Mitylenen deniq; urbem inuicta manu circūuallat, & in expugnatam breui intromittitur. Exterminatis tot Christianis, & in omnem propè Græciam atq; Asiam infuso Mahūmedis cultu, ut reliquias quoq; excinderet, & nihil in posteritatem non Mahummedeum tam in insulis quàm in continenti superesset, aucta ad nauium quadringentūm numerum classe, in

Euboeam

Eubœam (Negropontū hodie uocant) citatis remis contendit. Vbi Chal-
 cide urbe, infensissima obsidione fatigata, tandem potius est. Declinat po-
 stea in Euxinum (quem recentiores mare maius uocant) & Capham, quæ
 supra Bospori angustiam ipso in Euxino posita est, Genuensibus eripit.
 Edomita paulo post Albania, Venetis Scodram, Lysson & Dinastrū cor-
 radit. His triumphis penè innumeris inolefens, & comparando uniuersi
 orbis imperio fortunæ prosperioris incitatu inhians, treis uno et eodē tem-
 pore diuersas expeditiones aggreditur. Vnam, Rhodum, in quam infœ-
 licem Lemni, Mitylenes, Eubœæ, Euxini, atq; Albaniæ tristitiam transmis-
 10 surus, Mesythum Bassam terra mariq; prouidē armatum dimittit. Is eō cum
 peruenisset, ut suum Imperatorisq; animū (id quod summè cupiebat) ex-
 pleret, & de oppido diuitijs atq; opibus florentissimo triumpharet, cohorta-
 tus suos paululum, cepit continuo urbis murum specie castrorum horribi-
 li cingere, oppugnationem deinde occipit, ad undecimum Cal. Iul. Anno
 à natali CHRISTI millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio. Quā
 obsidionem eousq; continuauit, quoad de expugnatione omnino despe-
 rans, cedentibus in contrarium conatibus, illasæ urbi ridiculus cederet, ad
 sextumdecimū Cal. Septemb. Altera fuit expeditio in Italiā: ad quam per-
 agendam, Acomathem Bassam centū nauium classi, & quindecim homi-
 20 num millibus præficit, atq; iubet transfretare. Is inter nauigandum, Leuca-
 diam (quam nomine recentiore sanctam Mauram dicunt) Cephaleniam
 & Zacynthum cepit: & Fauelonam deuectus, in Appuliam traiecit, atq; in
 peregrinū litus inopinantibus Appulis egreditur. Mox deinde oram ma-
 ris trāscurrit, pleraq; loca spoliat, maritima omnia deprædatur. Postremò
 Hidruntē occupat. Cum hæc à Baisis fiunt, ipse quoq; Syriam petiturus,
 & Sultanum Cairi inuasurus, secessit Callipolim. Vnde aliquanto post ad
 Zizymum filium in Asiam exijt. Quocum & trecentis armatorū millibus
 in Sultanū proficiscens, in ipso itinere subita acerbacq; febre correptus, non
 longè à Nicomedia Bithyniæ mortuus est, nō sine ueneni suspicione, An-
 30 no suæ ætatis quinquagesimo sexto, unum & triginta, aut ut alij scriptum
 reliquere, septem & uiginti annos post Amorathem imperio potitus.

BAIAZETHES.

BAiazethi & Gemmæ, uel ut quibusdam placet, Zizymo paterna hæ-
 reditas, grauisissimi belli causa fuit. Orta nimirum in Turcis repentina
 controuersia, filiorum utri potius patris honores atq; insignia deferrent: in
 id uentum est factionis, ut sanguine clariore Zizymum Imperatorem, la-
 nizari Baiazethem exposcerent. Accidit igitur in hac animorum discor-
 dia, ut hi inuitis nobilioribus, in absentia Baiazethis Corcuthem eius fili-
 um pulsionem in aui sede collocarent: & absentis patris loco, Imperatorem
 40 paruum urbem talibus auspicijs salutandum proponerent, inuocato insi-
 nuatoq; populariter Baiazethis nomine. Qui interim de sua orbitate pari-
 ter ac collata in filiū maiestate imperij præproperè admonitus, admodum
 magnis diurnis atq; nocturnis itineribus Cōstantinopolim aduolat. Quò
 cum populo desideratissimus peruenisset, in ciuitatem quàm fieri potuit
 regiè atque honorificè acceptus, communibus suffragijs Imperator mense
 Maio salutatus est. In quo honorū opumq; fastigio constitutus, discruciarī
 intra se cogitabundus, & multa secū (ut ferè solent hi qui rerū potiuntur)
 animo uersare incipit, imperij quod susceperat magnitudinē: difficultatē
 imperādi ijs præsertim, quibus inuitis ac refragātibus designatus creatusq;

Imperator fuerat: Zizymum fratrem animi non muliebris, neq; frigidi spiritus hominem in imperium adoptatum fuisse ab ijs precipue ciuibus qui optimates erant: illorum opera factiones in populo nasci, motus excitari, arma sumi, uim inferri, Zizymum reuocari, caedi se facile uel exigi posse. Nec dubium esse, quin hi cito in caput principis coniuvent, qui in eius exitio aut exilio collocatam esse patriae libertatem: contra, in uita ac praesentia seruitutem omnium positam arbitrentur. In mora autem maximu inesse periculum. Ideo minime sibi his difficultatibus indormiendū, imo potius caute & diligenter & animose obstandū principio dubio ac difficili. In hac animi perturbatione, exercitum sedulo conscribendum curat, minore qui-
dem initio, quippe solum ad uitę suę maiorem inter suos cautionē, sed paulo post numerosiorem ex omni ueteranorum Graeciae robore, ita ut nō obscure omnes intelligerēt eas illum copias collegisse Zizymi fratris metu nimo incitatum. Nimirum eum audierat de his quę domi acciderāt, factum certio-
riorem, statim ē finibus Syriae, quō ā Mahummede patre aduersus Sultatum Aegypti missus fuerat, cū ualida manu egressum, celeriter quas tum copias habebat, in Anatoliā traduxisse, & occupata demū Bithynia, quasi distributo inter fratres patrimonio, & sorte delato ad ipsum imperio Asiae, ad Baiazethem uerō Europae, Prusiade cōsedisse, coactis undiq; ad defensionem Asiaticis gentibus. Qua re cognita, Baiazethes comparatis ad bellum uel inferendum fratri, uel ā fratre illatum repellendum rebus necessarijs, ratus sibi foeliciorem pugna extra Graeciae terminos fore, & longe ā Constantinopoli minori periculo obnoxiam, inaudita celeritate in Asiam aduersus fratrem proficiscitur. Quō ingens agmen cum traiecisset, & paucis diebus in planitiem quae ad Prusiadē est, processisset, haud procul ā castris fratris castra metari cepit. Nec cōflictu in multū tempus dilato, acie in aperto posita, post raras utrinq; prouocationes ferocissimē cū fratre signa contulit. Viribus superior, magna tamen utrinq; strage accepta, Zizymū in Syriam fugat, atq; hoc uno certamine uotorū omnium compos euadit. Zizymus tantae cladis acceptae nuncius, profugus cum paucis clientibus fidi-
simis Rhodū adnauigat, & lubens insulae praefecto se dedit. At uerō Rhodium illico cepit tacita quaedam de fugituo suspicio ac diffidentia. Nec factis, ut sibi uidebatur, ā Zizymo tutus, eum in Galliam ulteriorem ad Carolum regem hoc nomine octauū cum certis nauibus sollicitē custodiendum ablegat. Romam traductum ferunt ad Innocentium octauum Rom. pontificem: eundem Tarracinae postea, dum Neapolim deduceretur, propinato ad concitandā nomini Gallico inuidiā, ueneno occubuisse. Interea Baiazethes receptis in fidem Asiaticis, Iustratisq; Ponto, Cappadocia, & caeteris Anatoliae prouincijs, Cōstantinopolim regressus est magna suorum ciuium admiratione. Nec prisci continuatiq; haecenus Ianizarorū in se animi ac suffragij immemor, eorum, statim ā reditu, numerū auget: & eiusmodi hominū ordinē sibi curae esse atq; in precio, stipe in singulos annua conferenda, multisq; alijs beneficijs & immunitatibus planum facit. Caeterum aliquanto post, ordinatis, ut noua imperij mutatio postulabat, Graeciae rebus, eius animū Asiae reperendae cupiditas incensit. Vbi cū meminisset esse Caramannū hostē capitalissimū, qui nuper Ciliciam campestrē, atq; adeo Armenie minoris Cappadociaeq; regiones ad Taurum montem pertinentes sibi detraxisset, & per uim haecenus occupasset, neq; huic occupati patrimonio uulneri, nisi crudelissimo bello mederi posse cerneret: in eū ante
quam

quam discedat, instaurandum e Græca militiâ exercitū ducit. Fit igitur euo-
 catio, recēsetur exercitus, Asia repetitur quā fieri potest ocysimē. In qua
 cum iam multū promouisset, nempe transmisis Bithyniâ, Lyciâ, & Pam-
 phylie finibus, nihil prius habuit quā in Ciliciam irrumperere, & securum
 animi Caramannum impetu quā posset uehementi aut cedere, aut fuga-
 re, aut saltem expauefactum imbellem expugnabilemque reddere, & ad de-
 ditionem compellere. quo penē diuino cōsilio hostem iudit (uirtutum ni-
 mirum uicturo Imperatori necessariarum longē princeps est ineunda pu-
 gnæ prudens alacritas) & quæcunq; cis ac trans Taurum possederat, recu-
 10 perauit. Hoc scelici euentu quantum Baiazethi accesserit animi atq; auda-
 ciâ, susceptæ secundum hæc tempora expeditiones argumento sunt. In Sul-
 tanum Aegyptium (is Mahummedæ religionis facile princeps, ut cōfor-
 tibus exemplo sit Mahummedeū nō esse aliena appetere, sorte sua conten-
 tus, Aegypto solū ac Syriâ, quasi certo atq; unico maiorum regno impe-
 rat) ineunte uere bellum mouet. Neq; antē ab eius regionibus infestandis
 abstinet, quā se Sultano multo uiribus inferiorem longa experientia di-
 didisset. Siquidem is militia longē potentissimus erat: utpote qui Mama-
 luchos homines ab ipsis cunis in gladiatorio ludo educatos, de ea etiā po-
 20 puli colluuiē accersitos, qui a CHRISTO defecerant, fugitiuos post cæ-
 dem Caramanni excepisset, & copias Arabum innumerabiles ad sui tuitiō-
 nem aleret. Nemini porrō census abundantia & locorum munitione cede-
 bat. Igitur sapius ab eo debilitatus ac profligatus Baiazethes, cum Aegy-
 ptijs pacem scodusq; iniit. Exinde in Græciam reuersus, rerū naturalium
 studio ac cognitioni tantisper operā nauauit, donec adiecto ad Corcyram
 animo, sed patefacta Venetis conspiratione, ingentibus copijs Vualachi-
 am (quæ regio est Thraciæ inferior) Pontum Euxinum uersus, inuaderet,
 & sibi uectigalem faceret. Nec Moncaltri moles accessu expugnatuq; diffi-
 30 cilis (ut quæ ad eas fauces sita sit quibus Borysthenes amnis, quem illi Ne-
 per uocant, in mare se exonerat) resistendo efficere potuit, quin ad dediti-
 onem compelleretur, omni etiā maris ora, quocunq; incederet, Turci-
 cæ seruituti subdita. Hac uictoria spolijsq; hostilibus et elatior factus et po-
 tentior, classē numero nauium incredibili clam instruit. Ad hæc ingen-
 tem pedestrem exercitum comparat, ea solum ratione ut uires uniuersas in
 quos uelit, quoties commodum fuerit, emittat. Nactus deinde armorū ad-
 uersus Venetos sumendorū occasionem, in Peloponnesum tempestatem
 hanc impulit. Qui cum in sinum Patrarū admissus esset, Methonem, quod
 nunc Modonem: Lepanthum inde, quod olim Naupaclū: mox & Dyr-
 rachium Venetis ademūt. Gallos tum demum eos qui Rom. pōtificis hor-
 40 tati in Græciam profecti fuerant, sauisimo ad Mitylenen congressū fu-
 dit ac fugauit. Tum autē ætate ingrauescente, & morbis unde quaq; ingru-
 entibus, mortis se proximum esse conspicabatur. Quapropter in reliquam
 ætatem quieti tranquillitatiq; imperij prospecturus, Acomathen primoge-
 nitum in locum suum magnifico suorum omnium applausu absentem sub-
 stituit, eumq; nulla mora ad se accersit. Quod Selimo filiorum alteri cū nux-
 ciaretur, quā iniquē grauiterq; tulerit, ista satis docent. Etenim Trape-
 zunte cui prepositus a patre fuerat, properē discedens, ad patrem cucurrit,
 uiam fratri quali in nullā sortē honorū nato ad imperiū precepturus. Reci-
 pitur quidem a sene, sed agrē & asperrima cum obiurgatione, qui inuisur
 regis aduenisset. Remittitur paulo post in prefecturā nō satis exsententia.

Quid

Quid faciat? patri ne obtemperet, an etiam aduersus parentem certamen ineat? Celsit ad extremum pietas ambitioni, nam ea fuit filij ambitiosi cupiditas, ut tractis secum factiolis non paucis, ultro patri obuiam iret, & praelio quam poterat uiolento eum concuteret. Verum cum suis uniuersis fugatus, in Bulgaria latebras eousque se abdidit, donec Ianizari per Acomathis inuidiam (nempe ijs haud satis imperio dignus esse uidebatur, quod mollitia corporis effoeminatus esset) Selimum strepitu ac suffragijs continuatis Imperatorē flagitarēt. Ad quorū tumultuū compositionē permutata sorte Selimus pro Acomathe reuocat, atque in designati locū, patre lingua tenus consentiente, succedit. Id facinus cum a grefferet Baiazethes, uultu tamē ad praesens tempus cōsultē ac prudenter dolorē orbitatis dissimulante, impetrata à filio ueniā, tanquā relegatus, Dimoticum oppidū, quod ipse splendē haud procul Hadrianopoli condiderat, ad otium reliquae uitae cōcessit: in qua profectio, uel egritudine animi, uel morbo, uel potius ignoranter epoto ueneno cōfectus mortuus est, Anno à partu Virginis millesimo quingentesimo duodecimo, imperij uerò sui tricesimo.

S E L I M V S.

OMnium eorum quae patri Baiazethi, quae Selimo fratri, quae absentis sibi acciderant certior factus Acomathes, discrucari intra se anxie cepit. Longē se à patria, idque sine uiribus abesse: Sublatum esse patrem: suscepta iam à fratre ornamenta falceisque imperij: Pecunias illi in tuto & uiros affatim, sibi fugam in magno uitae discrimine relictae esse: Nec diu moraturum Selimum, quin sibi suspectum fratrem, si detur, opprimat. Utilius sibi fugere mature, quam confidenter expectantem oppressum iri. Distractum in has cogitationes uicit impij fratris metus. Itaque Prusiae egressus cum dissimulatis perpaucis, Anatoliam, qua Cappadocia aditur, magna celeritate transcurrit. Et necubi interciperetur, collocatis iam ab amicis fratris in uia insidijs, nusquam sibi conuiescendum duxit, donec in Ciliciam ad Caramanni nuper confecti possessiones peruenit. Quem locum in uitae praesidium cum satis tutum natura ipsa indicaret, eundem tamē omni belli apparatusu diligenter communiuit. Selimus ediuerso nihil iam nisi de fratribus internecandis, & securitate imperij cogitans, rebus in Graecia compositis, in Asiam transijt. Quo uentum cum esset, Bithyniam primū, deinde Lycaoniam, & postremò Cappadociā ad Acomathis fratris oppressionē transgreditur. Sed eum omnis generis irritamentis usus cum educere nequisset, repente euestigio profectio in Magnesium instituit, & Corcuthem fratrum tertium aggreditur inopinantem. Quo tam insperato impetu Corcuthes exanimatus, spe omni salutis in fuga collocata, Rhodon mutato habitu pergit. Sed à militibus fratris qui omnes aditus obsidebant interclusus, metu mortis proximē in montium secessus & saltuosa loca absconditur. Ibi herbarum radicibus ac melle syluestri uitā sustinuit, quousque proposito ingenti praemio ei qui uiuum hunc Selimo aut trucidatū prodidisset, seruos eius in proditionē ac necem domini avaritię insania pelliceret. E' uiuis exempto Corcuthes Selimus Magnesium, minorisque Asiae loca maritima ad Syriam usque in suam manum redegit. Bursa demū illi repetita est. Vbi cum uictoriae triumphique celebrandi specie propinquis ac necessarijs epulas apparatusset, inuitatos ad eas nepotes & à ceteris conuiuijs sub finem coenae ferorsum deductos, quasi secretius aliquid cum ijs comunicaturus, seruis tradidit suffocandos. Superest animi molestia, imperijque eius impedimentum Acomathes.

Acomathes. Neq̄ tamen satis nouit quibus illum artibus ac insidijs interceptat. Re infecta domum reuertitur. Ibi uehemēter indignatus nocēs & dies secum reputat interimendum esse Acomathem, ne sibi in posterū obesse ullo modo possit. Post multa & uaria consilia reperti sunt qui ex composito apud ipsum Acomathem per epistolas crimina hæc in Selimum Imperatorem fererent: Hunc patris expulsorem dicerent, alieni detentorem imperij, fraticidam, nepotum ac sanguinis sui perniciem. Quibus coniuratis optimatibus si auscultet Acomathes, breuī ad imperiū exacto fratre posse reuocari. Hortantur ut exercitum paret, se beneuolis accommodet, se socium adiungat, & prodeat securē ad tyranni interceptionem, pronam ad imperium uiam ingrediatur: uix tantillum promotorum quin se Turcarum omnium defectione restitutū sentiat. His dolis irretitus Acomathes, & spe ulciscendi fratris patrimonijq̄ recuperandi cupiditate circunuētus, ē uitæ propugnaculis educitur. In quorū propemodum exitu, præter opinionem Selimo sit obuius. Nec longioribus utrinq̄ consilijs ulsi, classicum extemplō canit. conclamatur, concurritur, confligitur ab utrisque atrocissimē. Ipso in conflictu sceleri atq̄ audaciæ fratris magna uir alacritate cum Acomathes resisteret, equo prolapsus & mole sui maiore, item pugnantium turba, necnon ipsius equi pondere pressus, cum erigi non posset, fato concessit. Filios reliquit Amorathem atq̄ Aladinum Selimi patruī timore fugitiuos. Quorum alter ad Sophin in Persidem confugit. A quo principio quidē humanissimē acceptus est, & muneribus ornatus amplissimis. Sed ea felicitate mox factus insolentior, trucidatur. Secessit alter in Syriā, prius subsidio uitæ à Campsone Sultano unā cum fide publica impetrato. Selimo in futurū stabilis ultro citroq̄ imperij securo, ingens uisenda Græciæ studium incensit. nec institutum res morata: quippe de inimicis undequaq̄ triumphans, paucis diebus ad Byzantium appulit. ubi post aliquot tempora de Perside otiosus cogitans, opportunē expeditionem instaurat. Eandē aggreditur prima quaque occasione, copioso exercitu mari ac terra impolito. Matureq̄ penetratis Cappadocia, Lycaonia, maiore Armenia atq̄ Euphrate amne, Persarum agros diripere uastareq̄ incipit. Mouetur Sophis in aduersum manu haud infirmiore. nec longē à Tauride Persidos animis insensissimis pugnatur. In quo congressu Sophiani machinarum ærearū insolenti murmure attoniti, hosti locum dedere. Atq̄ in hunc modum superatus Sophis, fuga salutē quaesit: Victori interim Tauris dedicationem fecit. Expugnata subinde Mascuelis est, oppidū ad Euphratem situm. His tot ac tantis hostium manubijs prædiuites Selimi copiae in hiberna in Lycaoniā reuocantur: atq̄ in Iconio (quod hodie Cognyum appellant) iussu Imperatoris sistuntur. In Sophin denuo perrecturus, ac de mum de Campsone Sultano lati Persis auxiliij uindictā sumpturus, (hunc enim in se unā cum Ismaele Sophi cōspirasse, & iam iam Syria egressum in Asiam aduentare, ac prope diem Taurum montē conscensurum esse compertum habuerat) prima æstate bellum renouat. Sed inita secum ratione in utrum prius proficisceretur, Sultano citissimē obuiam iit. In Alepum traiecto exercitu, cognoscit Sultanum ad Sangarium amnem, qui ab Alepo abest circiter decem millia, castrametatum esse. Quo nuncio excitatus, descripto agmine, atq̄ Amano mōte transmissio in hostē fertur præceps, eoq̄ spiritu cum eo conflictatur, ut ruptis cum strepitu machinarum inaudito, tum etiam uī pugnae Mamaluchis atque Arabibus, Sultano quoq̄ crebris ictibus

icibus deturbato & conculcato. Selimus Alepum uictoriam reportarit. Quam urbem extra omnem salutis aleam Sultani interitu positā, nullo negotio in fidem recepit. Damascum præterea, & Tripolim, et Sidonem, & Beritum, & Ptolemaidem, & cæteras Syriæ ac Phoeniciæ ciuitates eadem misericordia prosequutus est. Ad hæc in Iudæam (quæ eadem est cum Palestina) uenit, & Ierosolymam & Gazam deinceps (quæ posita ad mare ab Aegypto parum distat) deditioe cepit. Cairum etiam expugnauit, debellatis & fugatis unā cum Taumonbero Sultano nuper morte Campsonis, & Aegypti ac Syriæ discrimine creato, Mamaluchorum atq; Arabum reliquijs. Quos ut persequeretur & extingueret, pontem supra Nilum fecit, & illos ex eo ita est infectatus, ut socijs uel captis, uel radicibus exterminatis, Taumonberus è stagno, in quod se ore tenus miserat, Mustaphæ Bassæ Imperatoris legato traderetur, exinde ad Selimū, qui Cairi erat, ducendus: ubi uictoris iussu strangulatus, Bassæ Cayri portæ suffixus est. Captiui Mamaluchi atq; Arabes eodem sunt supplicio affecti. Quibus ad internecionē sublatis, ditioni Turcicæ plerosq; Africæ reges Sultano foederatos ac uectigales subdidit. Ad ultimū, constitutis, ut erat necesse, Palestinæ, Syriæ, Damasci, & Alepi rebus, Mustaphæq; Bassæ in Cilicia unā cum quadraginta equitū millibus ad radices Tauri montis, ut enascentem Ismaelis Sophis audaciam reprimeret relicto, Prusiadem regressus est: & uado traiectis Hellesponti angustijs Constantinopolim, tandem uerò Hadrianopolim peruenit. Ibi post aliquot menses in perpetuam morbi feuitiam lapsus, sub finem Septembris, Anno à seruatīs nobis millesimo quingentesimo decimo nono è uisus excessit, cum septenniū solum imperasset.

SOLEIMANVS.

IN demortui sedem ab Anatolia, cui prepositus fuerat, accitus est Soleimanus filius Selimi unicus, anno suæ ætatis octauo & uicesimo: Francisci uerò Galliarum regis, presentium temporum decoris quinto. Cuius ingenium initio imperij à cruore furijsq; bellicis alienum creditum est. Veruntamen specimen eius biennio post acceptam dignitatem longè ipse diuersum præbuit, qui maiorum uestigijs inhaerens, arma sua in totius Christianismi euerisionem, Anno regnantis Francisci septimo conuertit. & Belgradum, singulare Christianorum propugnaculum, non satis sibi constanter intus præsidio, ut cepit. Biennio proximo ad obsidionem tentatæ antea Rhodi uenit. Ad quod facinus audacius ferebatur, quod Rhodo in potestatem suam redacta, exterminatum iri penitus ex Asia & Græcia Christianos prospiciebat. Capta Rhodo, & pulso eius præsidio, adiecit animum ad Hungariam, in quam triennio post ad similitudinem triumphatoris processit. Impetum in Ludouicum eius regem fecit. Prælio eum uicit, & occidit. Regionem ferro ac igne uastauit. Budam magna manu ingressus diripuit. Sed & annus ab ea Hungarorum calamitate septimus, multo atrociorum turbulentioremq; procellam authore Soleimano è Græcia atque Asia in Austriam pepulit. Quæ quidem procella cladem orbi Christiano quam insignem, quam irreparabilem allatura erat, ni maturè furenti iam malo occursum fuisset: Concepta sunt hinc inde intestina odia, quibus Carolus Rom. Imperator incitatus aliquanto post Tunetem in Turcarū iacturam profectus est, et Soleimanus par pari relaturus, imò potius insanabile Christianismo uulnus inflicturus, postea secundum Italiam infinita classe uagatus est.

tus est. Ad quam cum uentis aduersis appellere nequiret, in Cephaleniam & Corcyram Venetorum insulas appulsus irrupit: ac prædæ tantundem abegit, quantum per insulanorum infirmitatem licuit. Hoc ipso anno legatus eius Aeneobarbus Bassa in Illyricum atq; Adriaticum innumera classe inuasit, & Castellum nouum quod oppidum est Sclauoniæ atque Albanicæ intermedium, ad Catari sinus fauces positum) post diuturnam terra mariq; obsidionem expugnauit.

AD FRANCISCVM GALLORVM

REGEM CHRISTIANISSIMVM

Christophorus Richerius.



20 Absoluta qua potui fide atque breuitate, digestaq; rerum Turcicarum historia, Rex Christianissime, decreueram prima qua; occasione illã tibi offerre. Nec ego id quidem feceram, quòd hoc opusculum nostrum dignum te esse ducerem. Me certè minore ingenio doctrinãq; esse sentio, quàm qui aliquid tam exacti iudicij Principe nõ indignum conficere possim. Sed uitæ & officij mei rationem tibi domino & hero meo redditam uolebã. Quum autem res omnis in sex esset partes distributa, quarum prima Turcarum originem, Othomanicq; imperium: altera gentis mores & instituta: Mahummedem pseudopphetam tertia: quarta res à Tamerlane Partho gestas: quinta expugnata à Mahummede secundo Constantinopolim: obsessum, captum, direptum Castellum nouum Dalmatiæ complecteretur ultima: statueram singulas eo quo scripsissem ordine tibi Latine simul & Gallicè exhibere. Verum sic accidit, ut historiæ nostræ liber secundus expeditior, paratior, lectuq; iucundior haberetur. Quare mutata sententiã, illum tibi initio fero. Accipe quæso ut soles *ἐν μὲν ὡς καὶ προθύμως*, sicut Artaxerxes ille aquæ frigidæ poculum. Nectam leue donum, quàm donantis animum metire. Res est exigua ac propè nulla: donator humilis & obscurus: tempus inopportunum. Ego tamen bonitate tua fretus & humanitate, id ausus sum facere quod uix summa nominis tui maiestas patiebatur.

30 *Ἐλπίζοντα ὑπὲρ κύριον ἔλεος κυκλώσει.*

DE MORIBVS ATQVE INSTITVTIS TVRCARVM, LIBER, II.



40 Quoniam gentis nominisq; Turcarum originem, atq; Othomanorum imperiũ, qua potuimus orationis breuitate ac luce demonstrauimus: non alienum quoq; esse uidetur in præsentia de eorundem moribus institutisq; pauca dicere. Sic enim fiet, ut deinde à nobis pauciora desiderentur, qui id ipsum quidem quod institueramus, plenius opinione fecerimus: utq; ijs cum aliqua etiam uoluptate satisfiat, qui haud satis ipso originis atq; imperij Turcarum libello contenti, priuatam quoq; & publicam eorum uitæ consuetudinem nosse cupiant. Ut uerò iam ad rem aggrediamur, & ab eo quod communis societatis conciliandæq; hominum inter se amicitia; longè primum seminarium est,

et incipiamus,